

loſophis ſphæra actiuorum & paſſiuorum eſt appellata. Quod non ſic intelligas, quod ita hæc elementa inter ſe pugnent, vt vnum elementum totum aliud corrumpat; hoc enim falſum eſt: ſed quod pars vnius inter dum alterat, & corrumpit partem alterius, ſuaq; ſpeciei formam in eius materiam introducat.

QVARTO definit elementa dicens, Elementa eſſe corpora ſimplicia, quæ in partes diuerſarum formarū minime diuidi poſſunt, ex quorum commixtione diuerſæ generatorum ſpecies fiunt. Quam quidem definitionē ex Auicema deſumpſit. Dicuntur elementa, corpora, vt diſtinguantur contra materiam primam, quæ corpus non eſt. Dicuntur corpora ſimplicia, non quod careant cōpoſitione ex materia & forma, hoc enim falſum eſſet, ſed quod non componantur ex alijs corporibus, ſicut mixta corpora cōponuntur ex elementis, & in eadem reſoluuntur. Id vero, quod additur. [quæ in partes diuerſarum & c.] deſumptum eſt ex 5. lib. Metaph. cap. 13. ſignificatq; elementa non reſolui in res diuerſarum formarū, quo pacto mixta reſoluuntur in elementa: Vel ſignificat, in diuiſione elementorum non poſſe assignari partes diſſimilares, cum ſint corpora Homogenea, id eſt, ſimilis generis, rationis ue. quo pacto alia corpora diuiduntur in partes diſſimilares, cum ſint Heterogenea, id eſt, alterius ſeu diuerſi generis, rationiſue. Pro eo deniq; quod ſequitur [ex quorum commixtione, & c.] id tantum ſciendum eſt, quinq; eſſe mixtorum genera, quæ ex diuerſa elementorum miſcibilium ad inuicem proportionē, contemperamentoq; proueniunt. In primo, & iſtimo gradu ſunt illa mixta, quæ dici ſolent a philoſophis mixta imperfecta, appellanturq; impreſſiones Meteorologicæ, quia in ſublimi ſunt, vt ſunt pluuiæ, grando, nix, tonitrua, fulgur & cætera huiusmodi: In ſecundo gradu ſunt lapides, mineralia, & corpora foſſilia, quæ mixta inanimata vocantur: In tertio gradu ſunt vegetabilia, vt planta, quæ mixta animata appellantur: In quarto gradu comprehenduntur bruta animalia: In quinto deniq; & ſupremo gradu homines continentur.

QVINTO oſtendit figuras elementorū dicens, vnumquodq; trium elementorum orbiculariter circundare terram, ita vt ignis ambias circulariter aerem, aer aquam & terram. Et quoniã aer debebat circundare aquam, & aqua terram, cuius contrarium cernimus, Aqua enim non totam terram circumnit, ſed duo hæc elementa nempe terra & aqua